

fiunt cultus Dei, si præstentur propter mandatum Dei in fide. 3. Exterior cultus primæ tabulæ, nisi annexam habeat obedientiam erga secundam, non placet Deo. 4. Exterior cultus Dei, quando fit cum violatione dilectionis proximi, ubi secunda tabula nec impedit, nec pugnat contra primam, non acceptatur.

30. Utile est & necessarium in singulis præceptis ostendere, quomodo & quatenus etiam renatis in hac vita impossibilis sit perfecta impletio.

31. Cogitandum quoq; est, quo modo ad verum usum singula præcepta sint transferenda.

32. Ubi notanda *συνεργαί*: lectio, meditatio, oratio, tentatio.

33. Singulis diebus seria meditatione accedendum est ad speculum Decalogi: ut peccata fugiamus, infirmitates nostras agnoscamus, Dei auxilium invocemus, & agamus Deo debitas gratias pro præstitis beneficiis.

---

*DISPUTATIO XIII.*  
*DE PRÆCEPTIS DECALOGI.*  
*THESIS I.*

**I**N primo præcepto hæc virtutes commendantur: agnitio Dei, timor Dei, confidere in Deum. Item, patientia & humilitas. Damnantur Dei ignorantia, *πολυθεία*, errores in do-